



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCCXXIV. Fürst Heinrich von Mecklenburg bestätigt die Stadt Friedland, in
dem er ihr und dem ganzen Lande Stargard das Recht zusichert, im Falle
einer Verletzung ihrer Rechte seinerseits oder durch ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

Gothefridus, Volradus, Hermannus et Sifridus, fratres dicti de Liznik, cum ecclesiam et conuentum Sanctimonialium in Butitz super molendino, ipso (ipſi?) clauſtro adiacenti, impeterent, poſt multiplices hominum conuentus proinde habitos, poſt diuerſa placita requiſita, tandem vtrique parti placuit, vt negotium committeretur arbitris decidendum. Ex parte igitur Sanctimonialium dominus Theodericus abbas Portenſis et Conradus ciuis Nuenburgenſis, dictus de Foro, ex parte vero G. V. H. et S. fratrum de Liznik preſcriptorum, Maroldus de Rolitz et Nicolaus de Glina, milites, pro arbitris ſunt electi, qui in vnum et negotium in inuicem diſcuentes arbitrati ſunt, vt Sanctimoniales de Butitz, pro redimendis in poſterum vexacionibus, et vt ſalua de cetero forent omnia, S. V. H. et S. fratribus de Liznik, darent octo marcas argenti, aduocato autem noſtro de nouo caſtro, cognomento Sele, marcas duas, et anniuerſarium diem Gothefridi et Juthe vxoris ſue, patris et matris fratrum predictorum, et eorum memoriam bis in ſeptimana ſingulis annis peragerent ſolempniter et deuote, dictumque molendinum deinceps Sanctimoniales ſepe dicte ſine omni impetitione poſſiderent in perpetuum pacifice et quiete. Vt igitur firmus et inconuulſus maneat huius per omnia tenor facti, preſentem paginam ſigillo noſtro decreuimus muniendam, ad augmentum eciam roboris ſigillum dilecte ſororis Domine Helene, Marchioniſſe in Wizenvels, vtile iudicauimus apponendum. Acta ſunt hec in ciuitate Nuenburg, Anno Domini M. CCC. III. VIII. Kalendas Februarii. Huius rei teſtes ſunt dominus Theodericus quondam abbas Porte, Johannes monachus Portenſis, Guntherus monachus Sancti Georgii prope Nuenburg, Germanus fratrum de Liznik preſcriptorum, Bertoldus conuerſus in Butitz, Heinricus Sculteti ciuis Nuenburgenſis, et quam plures alii fide digni.

Aus Schöttgen und Kreſiſig's Diplomat. hiſtor. Germ. II, 388.

CCCXXIV. Fürſt Heinrich von Mecklenburg beſtätigt die Stadt Friedland, indem er ihr und dem ganzen Lande Stargard das Recht zuſichert, im Falle einer Verletzung ihrer Rechte ſeinerſeits oder durch ſeine Nachfolger, den jedesmaligen Markgrafen von Brandenburg ſich zum Schutzherrn anzunehmen, am 27. Januar 1304.

Cum Acta, quae ſunt (in tempore, curſu) temporis a memoria hominum de facili in oblivionem decidunt et labentur, expedit ea ſcripturis et Inſtrumento perhennari. Igitur nos Hinricus, Dei gratia Magnopolis et Stargardiae Dominus, univerſis tam preſentibus quam poſteris, ad quos praefentes pervenerint, volumus eſſe notum, tenere preſentium publicae proteſtantes, Quod nos de mera et pura noſtra Liberalitate ac de maturo noſtro Conſilio noſtrorumque fidelium vaſallorum beneplacito, dilectis noſtris Conſulibus ac uniuerſitati Civium Civitatis noſtre Vredelandt, propter obedientiam et benevolentiam eorum, gracioſe annuimus et indulgemus, quod eiſdem Libertatibus, juſticiis et juribus, ſine angariatione noſtra aut noſtrorum haeredum ſive ſucceſſorum, perfrui debent, quibus recolende memoriae temporibus ac

etiam antiquitus tempore Marchionum Brandenborigensium, nostrorum dilectorum predecessorum, fuerunt perfrei, uidelicet eisdem Libertatibus, Iustitiis et iuribus, quibus Civitas Stendell utitur et fruitur. Volumus etiam et concedimus praedictis nostris Consulibus dicte Vredelandt ac universitati, plenam facultatis potestatem, praefatam Civitatem Vredelandt muniendi, muris, valvis, turribus, fascibus, falangis et aliis munimentis ac propugnaculis, in Civitate, circa Civitatem, in metis, extra et circum metas, totiens quotiens et quando eis videbitur expedire, nobis aut nostris haeredibus vel successoribus seu officiatis ad id minime requisitis. Ceterum volumus et liberamus predictos Consules ac universitatem ab omni onere trahendi et arrestandi per quemcunque ad forum seu iudicium alienum, in foro seu iudicio alieno extra dictam Civitatem. Sed si nos, nostri successores aut aliquis de nostris vassallis habeamus vel habeant querelam contra aliquem predictorum seu contra universitatem, volumus, ut debeant eos impetere in dicta Civitate Vredelandt, et ibidem consequi juris complimentum coram Scabinis et Sculteto, eis dato et porrecto secundum Exigentiam juris Stendaliensis, sicuti antiquitus sunt perfrei. Si autem nos, nostros Successores aut Advocatos nostro nomine dicte nostre Civitati in dictis libertatibus, iuribus et iustitiis, ut premititur indultis, in parte aut in toto infringendo contrariari contingeret, quod absit; Ex tunc nostri dilecti Consules sepe dicti ac universitas liberam habeant potestatis facultatem, salvo honore, eligendi Nobilem Dominum Marchionem Brandenborigensem, pro tempore Existentem, ad tuendum et defendendum eos in dictis libertatibus, iustitiis et iuribus. Qui si eos refutaverit, dicti Consules et universitas eandem potestatem habeant eligendi alium Dominum eis competentem ad tuendum et defendendum eos in dictis libertatibus, iustitiis et iuribus, Imputatione et redargutione cujuscunque proculmotis. Similiter eandem potestatem eligendi Dominum ad tuendum eos et defendendum damus et concedimus omnibus nostris Vassallis et Civitatibus in tota nostra terra Stargardeni existentibus, in eo quo contrariamur eorum libertatibus, iustitiis et iuribus, quibus ab antiquitus sunt perfrei. Ne autem haec nostra donatio et liberatio debite facta per nos vel nostros haeredes aut aliquem successorum nostrorum futuris temporibus aliquatenus infringatur, sed magis perpetuo roboris teneant firmitatem, praesentem paginam inde confectam nostri sigilli appensione ex certa scientia fecimus communiri. Hujus vero rei Testes sunt Wilckenus Söneck, Albertus et Eghardus Fratres de Dewitze, Buffo de Dolla, Edele Heydebreck, Rodolphus de Wudenswegen, Vicke Mundt, Conradus Schepelitz, Dietricus et Hermannus Fratres de Veritze, et Johannes de Schwanevitze noster Marschalcus, Milites et Secretarii nostri fideles, nec non Consules de Brandenburg et quamplures alii fide digni. Datum Stargardt, Anno Domini Millesimo trecentesimo quarto, feria quinta post Matthei beati Apostoli et Evangeliste.

Nach Klüber a. a. D. II, 132 und Franke a. a. D. V, XXI, S. 180. 181 mit Correctur einiger augenscheinlicher Fehler.